

potencia, si ipse prefato regi nato tuo aut ligarum aut unionum innovandarum hujusmodi aut iniendarum de novo inter eos invicem aut matrimonii federe specialius jungatur, serenitatem tuam attente rogamus, paternis et sinceris affectibus suadentes, quatinus eundem Petrum regem, interventionis nostre et publice utilitatis obtentu quam eciam in hac parte prosequimur, moneas et inducas quod ipse in hiis que sibi super hoc scribimus nostris consiliis acquiescat, ad quod partes apostolici favoris offerimus et dispensationis gratiam, si oportuna fuerit, liberaliter pollicemur.

Datum ut supra.

Reg. Vat., 144, f° xxix recto.

27

Clément VI engage Pierre I^{er} à épouser Jeanne de Navarre.

Avignon, 5 juillet 1350.

Carissimo in Christo filio Petro regi Castelle ac Legionis illustri.

Sicut scripsimus excellencie tue, nuper carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris et clare memorie Alfonsus rex Castelle ac Legionis pater tuus, dum viveret, attendentes quod ex eorum mutua caritate poterant non solum regnis et subditis eorum sed et circumpositis fidelium nationibus comoda provenire, inter se invicem quanquam essent proxima consanguinitate conjuncti, unionis amicitie federa inierunt. Quorum te in hac parte prudentiam probabiliter extimantes et ex paterne caritatis affectu quo te regnaque tua et subditos tibi populos prosequimur, cupientes summopere imitari, serenitatem tuam attente rogamus, paternis tibi et sanis utique consiliis suadentes, quatinus cum memorato rege Francie aut inita dudum innovare aut inire de novo unionis et lige federa, serenitas ipsa velit. Ceterum, intuentes quod decet et expedit quod excellencia tua aliquam tibi notabilem mulierem que, faciente Domino, instauret solium regium fecunditate sobolis jungat copula maritali, precibus et suasionibus nostris adicimus ut dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Johannam de Navarra domicellam, carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Navarre illustris germanam, que de ipsius regis Francie stirpe duxit originem, ad thalamum regium adducere velis uxorem. In cujus

matrimonio eo tuo et regni tui statui credimus utilius provideri, quo per illud duos tibi reges fortioris caritatis vinculo colligabis, et nos ad tua beneplacita constitues promptiores. Si autem dispensationis gracia in hoc fuerit oportuna, eam liberaliter pollicemur.

Datum Avinione, III nonas julii, anno nono.

Reg. Vat., 144, f° xl verso.

28

Clément VI recommande à Pierre I^{er} les ambassadeurs français.

Avignon, 5 janvier 1351.

Carissimo in Christo filio Petro regi Castelle et Legionis illustri.

Carissimus in Christo filius noster Johannes rex Francie illustris cupiens amicitiam et caritatem que inter progenitorem tuum et suum hactenus viguit inter te ac eum innovandi federis vinculo roborari, venerabilem fratrem nostrum Guidonem episcopum Eduensem et dilectos filios nobiles viros Guillelmum de Barreria et Guillelmum de Ambrana dominos, milites, consiliarios suos, pro quibusdam negociis honorem ac regnorum statum utriusque concernentibus, pro quibus tibi frequenter scripsisse recolimus, ad magnitudinem tuam mittit. Nos autem, utilitatem in hiis publicam prosequentes, serenitatem tuam attente rogamus quatinus episcopum et milites ipsos, premissorum intuitu et nostre interventionis obtentu, benigne recipere et super eisdem negociis dicti regis condescendere votis sublimitas tua velit; super quibus, partes favoris apostolici, si expediens fuerit, tam prompte quam liberaliter exhibemus.

Datum Avinione, nonis januarii, anno nono.

Reg. Vat., 144, f° CLXXXVI verso.

Carissime in Christo filie Marie regine Castelle et Legionis illustri.
Super eodem.

Item, in eodem modo, mutatis mutandis, dilecto filio nobili viro Fernando, nato clare memorie Jacobi regis Aragonum illustris, marchioni Dertusensi. Datum ut supra.

Ibidem, f° CLXXXVII recto.